

2. Præterea. Bonum commune est divinius quam bonum unitus. Sed bonum humani generis est bonum commune, bonum autem Christi est bonum unius singularis personæ. Ergo plus diligit humanum genus quam Christum.

Sed contra. Per Christum totum genus humanum fit Deo acceptum. Ergo Christum magis diligit.

Præterea. Datus est ei spiritus non ad mensuram: Joan. 111. Ergo plus eum diligit.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod Deus, simpliciter loquendo, majus bonum vult peccatori prædestinato quam justo præscito; sed ut nunc vult justo præscito. Hæc autem determinatio ut nunc non cadit ex parte dilectionis, sed magis ex parte objecti: quia dilectio Dei non variatur per tempora: ab æterno enim isti prædestinato voluit majus bonum. Unde simpliciter concedendum est, quod magis diligit prædestinatum quam præscitum.

Et per hoc patet responsio ad objecta, quia procedunt ut nunc.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod quantum ad bonum præmiæ essentialis æqualiter diligit peccitentem, & innocentem, si æqualem habeant charitatem, vel illum magis qui majorem charitatem habet; sed quantum ad præmiæ accidentale plus diligit innocentem propter dignitatem innocentiam, ad quam non potest pervenire peccitens.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis peccitens resurgat in æquali charitate, & ita bonum quod sibi vult Deus, sit æquale consideratum in se, est tamen majus in comparatione ad ipsum cui datur; sicut quanto aliquis est magis indigens, magis sibi impensum reputatur beneficium: & propter hoc dicitur Deus, & Angeli plus gaudere de conversione ejus; sicut homo plus gaudet de modico signo sanitatis alicujus infirmantis, quam de integra sanitate, dum eam habebat. Vel dicendum, quod hoc dicitur ex hoc quod peccitens frequenter magis humilis, & fervens, & cautus resurgit.

Ad secundum dicendum, quod Deus non magis operatur in eo cui de novo infundit gratiam, quam in eo in quo eam continuat; sicut nec sol illuminans

aerem tenebrosam plus quam continuans lumen: nihil enim potest subsistere, nisi Dei operatio continetur in ipso.

Ad tertium dicendum, quod quamvis sit majus respectu illius qui liberatur, non tamen est majus simpliciter.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod quantum ad bonum naturæ plus diligit Deus Angelum quam hominem; sed quantum ad bonum gloriæ se habent ut excedentia, & excessa: quia quosdam homines plus, & quosdam Angelos plus, & quosdam æqualiter: quia homines erunt æquales Angelis, & quidam etiam superiores Angelis, & unicuique providit secundum exigentiam naturæ, & status sui.

Et per hoc patet responsio ad objecta. Non enim plus diligit pater filium infirmum quam sanum, quia ei impendit remedia quæ non impendit sano.

SOLUTIO IV.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod Christum diligit non solum plus quam homines, sed etiam plus quam totam creaturam, non solum quantum ad divinam naturam, sed etiam quantum ad humanam, in quantum eam prædestinavit ad majus bonum, scilicet ad unionem divinæ personæ.

Ad primum ergo dicendum, quod in hoc etiam quod Christus pro hominibus fuit datus, maximum bonum ipsi Christo fuit, secundum quod in hoc virtus sua manifesta fuit, & causa fuit salutis humanæ, quod est sibi valde honorificum.

Ad secundum dicendum, quod quamvis sit singularis persona Christi, tamen est causa universalis salutis humani generis: & causa præstantior est causato.

EXPOSITIO TEXTUS.

Præmissis adjiciendum est de dilectione Dei qua ipse diligit nos. Videtur quod hoc in I. Libro determinare debuerit. Et dicitur, quod etiam in I. Libro poni convenienter potuit, in quantum divina dilectio est divini essentia, & hic poni congruenter potest, in quantum est exemplar nostræ dilectionis.

Dilectio Dei usia est. Est enim essentia, & dilectio in Deo idem re, sed differt ratione tantum, ut in I. Libro dictum est.

DISTINCTIO XXXIII.

De quatuor virtutibus principalibus.

POST prædicta, de quatuor virtutibus quæ principales, vel cardinales vocantur, disserendum est, quæ sunt justitia, fortitudo, prudentia, & temperantia. De quibus Augustinus ait Lib. XIV. de Trin. cap. IX. „Justitia est in subveniendo miseris, prudentia in præcavendis insidiis, fortitudo in perferendis moribus, temperantia in coercendis delectationibus pravis.“ De his dicitur in Libro Sapientiam cap. VII. „Sobrietatem, & prudentiam docet, justitiam (1) & virtutem.“ Sobrietatem vocat temperantiam, & virtutem vocat fortitudinem. Hæc virtutes cardinales vocantur, ut ait Hieronymus (a) quibus in hac mortalitate bene vivitur, & post ad æternam pervenitur: quæ in Christo plenissime fuerunt, & sunt, de cujus plenitudine nos accepimus: in quo habuerunt usus eosdem quos in patria habent, & quosdam etiam via.

(1) Al. hic & infra veritatem.

Ex Edit. P. NICOLAI. (a) Quod subditur ex Hieronymo, ubi expresse dicit non occurrit, etsi quatuor illas virtutes commemoret in Zacharia cap. 1. & falsus Hieronymus in Marc. 1. cardinales appeller.

Verumtamen hæc virtutes, cum ipsæ in animo esse incipiant, qui cum sine illis prius esset, tamen animus erat; desinant esse cum ad æterna perduxerint, nonnulla quæstio est. Quibusdam visum est esse desideratas; & de tribus quidem, prudentia scilicet, fortitudine, & temperantia, cum hoc dicitur, nonnihil videtur dici. Justitia enim immortalis est, & magis perficietur in nobis quam esse cessabit, cum beate vivemus contemplatione naturæ divinæ, quæ creavit (2) omnes, cæterasque instituit naturas, quæ nihil melius, & amabilius est: cui regenti esse subditum, justitiæ est. Et ideo immortalis est omnino justitia, nec in illa beatitudine esse desinet; sed talis ac tanta erit ut perfectior, ac major esse non possit. Fortassis & aliæ tres virtutes, prudentia sine ullo jam periculo erroris, fortitudo sine molestia tolerandorum malorum, temperantia sine repugnantia (3) libidinum, erunt in illa felicitate; ut prudentiæ ibi sit nullum bonum præponere Deo, vel æquare; fortitudinis ei firmissime coherere, temperantiæ nullo (4) affectu noxio delectari. Quod vero nunc agit justitia in subveniendo miseris, quod prudentia in præcavendis insidiis, quod fortitudo in perferendis molestiis, quod temperantia in coercendis delectationibus pravis, non erit ibi omnino, ubi nihil mali erit. Ita igitur virtutum opera huic mortali vitæ necessaria, sicut fides, ad quam referenda sunt, (5) in futuro habebuntur. Ecce aperte dicit Augustinus, quod prædictæ virtutes in futuro erunt; sed alios usus tunc habebunt quam modo: cui Beda consentit super Exodum cap. XVI. (b) ita dicens: „Columnæ, ante quas expansum est velum, potestates cœli sunt, quatuor eximiis virtutibus præclaræ, idest fortitudine, prudentia, temperantia, justitia, quæ aliter in cœlis servantur ab Angelis, & animabus Sanctis, quam hic à fidelibus.“ Et consequenter assignat Beda usus illarum virtutum secundum præsentem, & futurum statum, imitans Augustinum in præmissis assignationibus.

DIVISIO TEXTUS.

POSTquam determinavit Magister de virtutibus theologis, hic determinat de virtutibus cardinalibus: & dividitur in partes duas. In prima determinat de ipsis cardinalibus virtutibus secundum se. In secunda ostendit in quibus esse habeant, ibi: *Quæ in Christo plenissime fuerunt, & sunt.* Prima dividitur in tres. In prima enumerat eas. In secunda ostendit actus earum, ibi: *De quibus Augustinus ait.* In tertia ostendit qualiter cardinales dicantur, ibi: *Hæc virtutes cardinales vocantur.*

Quæ in Christo plenissime fuerunt, & sunt. Hic ostendit in quibus sunt virtutes cardinales: & dividitur in duas partes. Primo ostendit quod sunt, & fuerunt in Christo. Secundo inquirat, utrum futuræ sint in patria, ibi: *Verumtamen hæc virtutes, cum ipsæ in animo esse incipiant, desinant esse cum ad æterna perduxerint, nonnulla quæstio est.* Et circa hoc duo facit. Primo movet quæstionem; secundo determinat eam, ibi: *Augustinus autem XIV. Lib. de Trin.*

QUÆSTIO I.

HIC est triplex quæstio. Prima de virtutibus moralibus in communi. Secunda de virtutibus cardinalibus. Tertia de partibus earum.

Circa primum quærentur quatuor. Primo de distinctione moralium virtutum ab invicem: qualiter enim ab intellectualibus, & theologis distinguantur, supra XXI. dist. quæst. 1. art. 7. dictum est.

Secundo. Quæritur de causa efficiente earum, utrum sint scilicet à natura, vel per infusionem, vel per acquisitionem.

Tertio. De medio quod in eis requiritur.

Quarto. Utrum in patria evacuentur.

ARTICULUS I.

Utrum omnes virtutes morales sint una virtus.

1. 2. quæst. LX. art. 1. & 2.
1. AD primum sic proceditur. Videtur quod omnes virtutes morales sint una virtus.

(2) Forte homines. (3) In edit. Nicolai deest libidinum. (4) Al. defectu. (5) Augustini textus, in præteritis. Ex Edit. P. NICOLAI. (b) Bedæ appendix... quam sic etiam habet Glossa super Exod. XXVI. sumpta est ex ejusdem Lib. II. de Tabernaculo cap. VII.

Augustinus enim dicit in Lib. de morib. Ecclesiæ cap. XV. *Nihil virtutem esse affirmaverim, nisi summum amorem Dei.* Sed amor Dei, qui est charitas, est una virtus, ut ex dictis patet. Ergo omnes virtutes sunt tantum una virtus.

2. Præterea. Ubi est unum formale, non potest esse diversitas nisi materialis. Sed omnes virtutes morales conveniunt in uno formali, quia completivam rationem virtutis habent, secundum quod intellectum, & rationem accipiunt, ut in VI. Ethic. dicitur. Ergo non differunt nisi materialiter, & non differunt secundum speciem.

2. Præterea. Potentiæ apprehensivæ magis diversificantur, vel non minus quam appetitivæ. Ergo & habitus similiter, cum potentiis proportionentur. Sed unus habitus cognoscitivus est omnium quæ ad virtutes morales pertinent, sicut patet de scientia morali, & de ipsa prudentia, quæ est recta ratio omnium agibilium, ut dicitur in VI. Ethic. cap. VI. Ergo & virtutes morales non debent esse distinctæ secundum speciem.

Sed contra. Per se accidentia secundum speciem distinguuntur ex sola differentia subjectorum, quæ in eorum definitionibus ponuntur. Sed virtutes morales sunt etiam in diversis subjectis, cum quædam sint in rationali, quædam in concupiscibili, quædam in irascibili; & semper in eisdem, quia temperantia nunquam est in irascibili, & cæteris. Ergo videtur quod virtutes morales specie distinguantur.

Præterea. Plures formæ unius speciei non possunt esse in eodem subjecto. Sed plures virtutes morales possunt esse in eodem etiam secundum partem eandem animæ, sicut fortitudo, & mansuetudo sunt simul in irascibili. Ergo differunt specie.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod aliæ virtutes morales à prudentia non distinguantur. Eorum enim quæ ex opposito dividuntur, unum non ponitur in definitione alterius. Sed prudentia est recta ratio, quæ ponitur in definitione moralium virtutum, ut patet in II. Ethic. Ergo morales virtutes à prudentia non distinguuntur.

2. Præterea. Ad virtutis actum non exigitur nisi cognitio, & operatio. Sed totum hoc prudentia

facit: quia prudens non solum cognitivus, sed etiam activus est, ut in VI. Ethic. cap. vii. & viii. & VII. cap. i. i. dicitur. Ergo idem quod prius.

3. Præterea. Sicut prudentia est recta ratio agibilium, ita ars est recta ratio factibilium, ut dicitur in VI. Ethic. Sed in factibilibus non distinguuntur alii qui habitus exequentes ab artibus quæ sunt habitus dirigentes. Ergo nec in agibilibus morales virtutes, quæ sunt exequentes, sunt distinguendæ à prudentia dirigente.

Sed contra. Virtutes morales ab intellectualibus distinguuntur, ut supra dictum est. Sed prudentia est intellectualis virtus, ut in VI. Ethic. patet. Ergo à virtutibus moralibus distinguitur.

Præterea. Habitus distinguuntur per actus. Sed Augustinus assignat aliam actum prudentiæ, & aliis virtutibus moralibus, ut patet in littera. Ergo distinguuntur ab invicem.

QUESTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod nec ab aliis tribus virtutibus in littera positæ reliquæ morales virtutes distinguantur. Pars enim non dividitur contra totum. Sed harum alia omnes partes esse dicuntur à Tullio Lib. II. de invent. num. 36. Ergo ab eis non distinguuntur.

2. Præterea. Proprietates rerum spiritualium ex earum nominibus investigantur, ut patet per Dionysium. Sed nomen temperantiæ temperiem, & modum quemdam importat; similiter autem nomen fortitudinis indeficientiam respectu difficultatis; nomen autem justitiæ equalitatem, vel rectitudinem: unde justum æquale equalitatem, vel rectitudinem, ut ex V. Ethicor. cap. i. patet. Cum ergo hæc requirantur in qualibet virtute morali, videtur quod alia virtutes morales ab istis non distinguantur, nec ipsæ ab invicem.

3. Præterea. Omne peccatum non expellitur nisi per omnem virtutem. Sed per justitiam expellitur omne peccatum, ut patet in justificatione impii. Ergo ad minus ab ipsa alia virtutes morales non distinguuntur.

Sed contra. Nihil est principale respectu sui ipsius. Sed hæc virtutes dicuntur cardinales, vel principales respectu aliarum. Ergo ab eis distinguuntur.

Præterea. Habitus distinguuntur per actus, & objecta. Sed istis virtutibus assignantur diversæ materiæ speciales, ut infra patebit. Ergo sunt speciales virtutes, ab aliis, & à se invicem distinctæ.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod cum unumquodque quod est ad finem, determinetur secundum exigentiam finis, potentiæ, & habitus, qui ordinantur ad actus sicut ad ultimam perfectionem, oportet quod secundum actus diversos distinguantur: sicut etiam potentiæ materiæ distinguuntur per relationem ad diversas formas. Non autem qualibet diversitas actuum facit differentiam potentiarum, & habituum; sed illa tantum quæ est ex diversitate objectorum, à quibus actus specificantur, sicut motus à terminis. Solum autem illa differentia terminorum facit diversam speciem motus quæ attenditur secundum illam rationem secundum quam terminat motum. Unde quod descensus terminetur ad aquam, vel ad terram, non facit diversam speciem motus localis: quia motus localis non erat

ad terram, vel aquam inquantum hujusmodi, sed inquantum deorsum sunt. Generationes autem differunt secundum speciem quæ terminantur ad formas aquæ, & terræ, & similiter objecta diversa non diversificant actus secundum speciem, nisi sit diversitas secundum illam rationem secundum quam est objectum. Videre enim album, & nigrum non sunt diversi actus secundum speciem: quia utrumque est objectum visus secundum unam rationem, inquantum scilicet sunt colorata visibilia acta per lucem. Et inde contingit quod quanto aliqui habitus, vel potentiæ sunt immaterialiores, tanto sunt universaliores, & minus distinguuntur: quia attendunt universalioris rationem objecti, sicut quinque sensibus propriis correspondet unus sensus communis, & una imaginatio. Sciendum tamen, quod cum plures habitus quandoque sint in una potentia, aliqua diversitas sufficit ad distinguendum habitus quæ non sufficit ad distinguendum potentiam: quia potentia alio modo comparatur ad actum quam habitus: unde & secundum alteram rationem objectum utrique respondet. Potentia enim est principium agendi absolute, sed habitus est principium agendi prompte, & facilitate: & ideo objectum secundum illam rationem quæ se habet ad actum simpliciter, respondet potentiæ; sed secundum quod se habet ad facilitatem actus, respondet habitui. Et ideo diversitas materiæ, vel objecti in ordine ad ea quæ faciunt facilitatem in actu, facit diversitatem habitus, & non potentiæ. Et inde est quod in speculativis diversitas materiæ, secundum quod est determinabilis per diversa media, & principia, ex quibus est facilitas considerationis, facit diversas scientias; sicut Naturalis, quæ est ex effectibus, & his quæ apparent in sensu demonstrat, à Mathematica differt, quæ circa suam materiam ex eisdem principiis, & mediis procedere non potest. Sicut autem in speculativis est principium demonstrationis, & medium; ita fines sunt in operativis, ut dicitur in VII. Ethic. cap. viii. Ex eorum enim intentione procedimus in ea quæ sunt ad finem, sicut ex dignitatibus in conclusiones: & ideo secundum relationem ad finem omnes morales habitus distinguuntur, ex quo prima sumpta est differentia boni & mali; quia bonum importat finem, ut dicitur in X. Metaph. text. xiii. & III. text. xxx. & XII. text. xxxvii. malum autem deordinationem à fine: & secundum hoc virtutes à vitiis distinguuntur: & in virtutibus ubi invenitur diversa ratio boni, sunt diversæ virtutes secundum speciem. Bonum autem ad quod humanæ virtutes proxime ordinantur, est bonum rationis, contra quam esse est malum hominis, ut dicit Dionysius in Lib. de Divin. Nom. cap. iv. Et quia non in omnibus materiis moralibus eodem modo invenitur rationis bonum, ut patet; ideo oportet diversas virtutes morales esse specie differentes.

Ad primum igitur dicendum, quod, sicut supra dictum est, duplex est amor. Unus naturalis, & hoc invenitur in omnibus virtutibus: unde talis amor non appropriatur charitati, sed est communis omnibus virtutibus: & si de hoc amore loquitur Augustinus, patet quod non probatur quod sit tantum una virtus. Alius autem est amor animalis, qui secundum quod est in superiori appetitu, & gratuitus, ad virtutem charitatis pertinet: & hic quidem amor invenitur in omnibus virtutibus, non quasi idem per essentiam eis, sed inquantum participatur ab ipsis prout sunt à charitate imperate.

Ad secundum dicendum, quod id quod est rationis,

QUESTIO I.

nis, & intellectus, non eodem modo participatur in materiis omnium moralium virtutum, cum in diversis materiis diversimode medium rationis rectæ invenitur: & ideo talis materiæ diversitas diversitatem formæ, & speciei causat; sicut etiam accidit in naturalibus, quando diversæ materiæ non sunt proportionatæ ad recipiendum formam unius rationis.

Ad tertium dicendum, quod in omnibus moralibus invenitur una ratio veri, quod est verum contingens, in hominis actione consistens; & ideo ad unum actum cognoscitivum pertinent. Invenitur (1) autem in eis ratio boni diversa, secundum quod in diversis diversimode ordo rationis constituitur: & ideo ex parte appetitivæ oportet quod sint diversi habitus, qui dicuntur virtutes morales.

SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod sicut speculativa ratio dicitur esse recta secundum quod se conformiter ad prima principia habet; ita etiam ratio practica dicitur recta ratio, secundum quod se habet conformiter ad rectos fines. Inclinatio autem ad finem ad appetitum pertinet, & ideo in VI. Ethic. cap. ii. dicitur, quod veritas, & rectitudo rationis practica est secundum quod se habet conformiter ad appetitum rectum. Appetitus autem respectu alicujus est rectus naturaliter, sicut respectu finis ultimi, prout quilibet naturaliter vult esse felix; sed respectu aliorum rectitudo appetitus ex ratione causatur, secundum quod appetitus aliquo modo ratione participat, ut in II. Ethic. dicitur. Et quia prudentia facit rationem rectam, ideo præter prudentiam requiruntur alia virtutes morales, quæ faciunt appetitum rectum in his in quibus naturaliter rectus non est. Et quia bonum rationis non eodem modo invenitur in ipsa ratione, & in his quæ rectitudinem rationis participative habent; ideo secundum ea quæ prius dicta sunt, morales virtutes sunt alii habitus secundum speciem quam prudentia.

Ad primum igitur dicendum, quod quando aliqua dividuntur, æqualiter recipiuntur communem prædicationem, tunc unum non ponitur in diffinitione alterius; sed quando commune prædicatur de eis per prius & posterius, tunc primum ponitur in diffinitione aliorum, sicut substantia in diffinitione accidentium: & propter hoc prudentia ponitur in diffinitione aliarum virtutum, in qua per prius bonum rationis, & per consequens ratio virtutis invenitur: quia prius est quod est per essentiam, quam quod est per participationem.

Ad secundum dicendum, quod prudens est activus adveniando ea quæ ad finem virtutis perducent. Sed præter hoc oportet esse virtutes morales quæ faciant rectam intentionem, & inclinationem in finem, quæ etiam exiguntur ad hoc quod homo sit activus.

Ad tertium dicendum, quod bonum artis consistit in re exteriori quæ per actum artis ad perfectum perducitur; sed bonum moris consistit in ipso operante: & ideo in artificialibus, dummodo aliquis bonus bonum perficiat, non differt quantum ad rationem artis qualitercumque operans se secundum voluntatem ad operandum habeat, sive sit firmus in proposito, vel delectabiliter operetur, aut non; refert autem quantum ad perfectionem virtutis mo-

ralis. Et ideo oportet esse in moralibus habitus facientes appetitum rectum, non autem in artificialibus.

SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod, sicut dictum est, habitus virtutum moralium ex bono rationis diversificantur: quod quidem in ipso rationis iudicio essentialiter consistit, quod ad prudentiam pertinet; in his vero quæ per rationem disponuntur, participative, quod ad morales virtutes spectat. Moralem autem materiam, id est actus, & passiones humanas, ratio quantum ad tria ordinat, sive disponit. Primo ordinando ipsas passiones per actiones secundum se, prout eas ad medium reducit secundum quamdam commensurationem; & sic dicitur modum in eis ponere, quia modus mensurationem importat. Secundo ordinando subjectum ad ipsas actiones, & passiones primo modo ordinatas, ut scilicet homo firmiter inhæreat his quæ ratio ordinavit. Tertio in ordine ad aliquid extra, ad quod oportet actus nostros proportionari, sive sit finis, sive alius homo, sive quidquid extrinsecum; & secundum hoc causatur rectitudo, vel æqualitas in virtute. Hæc igitur tria, scilicet modus, & firmitas, & rectitudo, in omnibus virtutibus moralibus inveniuntur. Sed in quibusdam materiis virtutum, bonum rationis attenditur præcipue secundum unum istorum; in quibusdam vero secundum aliud, secundum quod naturalis potentia, quam perficit habitus virtutis, magis deficit in hoc, vel in illo. Unde tota intentio rationis, & virtutis ad hoc fertur ubi natura deficit; sicut patet quod delectationes corporales sunt nobis connaturales, & ideo in his difficillimum est modum tenere; & propter hoc virtus quæ est circa eas, scilicet temperantia, præcipue modum sibi adscribit, unde & nomen accipit: & similiter naturaliter homo mortem fugit, unde & difficillimum est in periculis mortis firmiter persistere; & ideo fortitudo quæ circa hujusmodi est, firmitatem sibi adscribit, & inde nominatur: & similiter rectitudo præcipue in communicationibus ad alterum quaritur; & ideo justitia, quæ circa has est, à rectitudine nomen habet: & sic est etiam in aliis virtutibus moralibus, quia secundum speciem distinguuntur, prout bonum rationis quantum ad aliquid prædictorum diversimode in eis invenitur secundum conditionem materiæ.

Ad primum igitur dicendum, quod alia virtutes non dicuntur partes subjectivæ harum, vel integrales; quod non impedit earum distinctionem ab istis: quod infra melius patebit, quæst. III. hujus dist. per totam.

Ad secundum dicendum, quod istæ virtutes denominantur ab hoc quod est principale in eis. Aliquid autem est principale in uno quod non est principale in altero, ut ex dictis patet; & ideo nihil prohibet eas esse distinctas. Tamen advertendum, quod Sancti, & Philosophi inveniuntur dupliciter loqui de istis virtutibus. Quandoque secundum quod sunt speciales virtutes habentes determinatam materiam, sicut quod temperantiæ attribuunt delectationes venereas cohibere; quandoque autem secundum quod habent quamdam generalitatem, prout illud à quo nomen accipiunt, & in quo perfectio earum principaliter consistit, ad alias materias, & virtutes trans-

(1) Al. enim.

ferunt; sicut cum fortitudini attribuunt fortiter persistere non solum in periculis mortis, sed etiam in quibuscumque periculis. Sed primum dicitur proprie, secundum autem appropriate, vel per reductionem.

Ad tertium dicendum, quod iustitia quaedam est generalis, quaedam autem specialis. Specialis quidem est secundum quod habet materiam determinatam (1) in communicationibus quae ad alterum sunt secundum rationem debiti: & sic ponitur hic una de quatuor cardinalibus virtutibus. Alio modo dicitur generalis, & hoc dupliciter. Uno modo secundum quod est quaedam habitudo recta ipsius animae, prout homo debito modo ordinatur & in seipso, & ad alia; & sic dicitur iustificari impius. Alio modo, prout est idem quod omnis virtus, ratione differens, prout actum virtutis quis ordinat ad bonum commune, secundum imperium legis; quod contingit in actibus omnium virtutum, ut Philosophus dicit V. Ethic. cap. 11. & hoc infra melius patebit, quæst. 11. & 111.

ARTICULUS II.

Utrum virtutes morales insint à natura.

I. P. quæst. xx. art. 3. & de verit. quæst. 1. art. 8.

1. AD secundum sic proceditur. Videtur quod virtutes morales insint nobis à natura. Damascenus dicit in III. Lib. cap. xvi. *Naturales sunt virtutes, & naturaliter, & aequaliter insunt omnibus.* Hoc idem etiam dicit Antonius (apud Athanasium in ejus vita) in exhortatione ad Monachos.

2. Præterea. Secundum Philosophum in II. Physic. text. v. quæ ex principiis naturalibus causantur, natura sunt. Sed ratio est de principiis naturalibus hominis. Cum ergo virtutes ex ratione procedant, videtur quod sint naturales.

3. Præterea. Homo est perfectior inter alia animalia. Sed aliis animalibus à natura inest dispositio ad agendum ea quæ eis comperunt, sicut hirundini ad faciendum nidum. Cum ergo virtutes nihil aliud sint quam inclinationes ad opera convenientia homini, videtur quod virtutes naturales sint homini indita.

Sed contra. Secundum Dionysium IV. cap. de Divin. Nomin. bona naturalia non amittuntur per peccatum. Sed virtutes amittuntur. Ergo non sunt naturales.

Præterea. (2) Ea quæ sunt à natura, non assuefacimus. Sed in operibus virtutum valet assuefactio. Ergo virtutes non sunt à natura.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod non possint acquiri ex actibus. Continentia enim secundum Philosophum in VII. Ethic. cap. 1. est aliquid minus virtute. Sed continentiam non possumus ex actibus nostris acquirere: Sap. VIII. 21. (3) *Scio quod non possum esse continens nisi Deus det.* Ergo multo minus aliæ virtutes ex actibus acquiri possunt.

2. Præterea. In nulla re per aliquam actionem aliquid acquiritur, nisi per actiones aliquid res illa accipiat. Sed operans, in quantum operatur, nihil recipit, immo magis operationem à se emitit. Ergo ex

(1) Al. communicationis. (2) Forte eis. (3) Vulgata: *Et ut scivi quoniam aliter non possum esse continens nisi Deus det.*

hoc quod operatur, non acquiritur in ipso aliquam virtus.

3. Præterea. Nihil agit ultra suam speciem: quia effectus non potest esse nobilior causa. Sed operationes quæ sunt ante virtutem, non sunt virtutum, sed potentiarum naturalium tantum. Cum ergo virtus sit nobilior quam operatio, quæ est ex potentia naturali tantum, videtur quod per huiusmodi operationes virtutes acquiri non possint.

4. Præterea. Una operatio non potest habitum virtutis causare, sicut Philosophus dicit in I. Ethic. cap. x. similiter nec plures, ut videtur: quia plures operationes non sunt simul, & quod non est, non agit. Ergo nullo modo ex actibus virtutes acquiruntur.

Sed contra. Philosophus dicit in Libro de memoria, & reminiscencia, lect. vi. quod consuetudo est quasi natura. Ergo à consuetudine efficitur aliquid homini connaturale, & facile. Sed nihil aliud virtus est quam quaedam facilitas, & inclinatio per modum naturæ ad bonum rationis, ut dicit Tullius, Lib. II. de inventione. Ergo ex consuetudine acquiritur aliqua virtus.

Præterea. Malum non est fortius in agendo quam bonum. Sed malis operibus acquiritur aliquis habitus vitiosus. Ergo ex bonis operibus acquiritur aliquis habitus virtuosus.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod non oporteat ponere aliquas virtutes morales infusas. Ea enim quæ per principia naturalia possunt causari, non oportet quod divinitus præter naturalia principia causentur, nisi aliquando miraculose fiat; sicut quod sanitas restituitur, quam etiam natura posset restituere, licet non statim. Sed ad virtutes morales possumus pervenire per naturalia principia, ut probatum est. Ergo non indigemus quod virtutes nobis infundantur.

2. Præterea. Ad actum quantumcumque perfectum non requiritur nisi quod sit actus rectus, & meritorius. Sed ad faciendum actum rectum sufficit virtus acquisita, ad faciendum autem meritorium sufficit charitas. Ergo non indigemus virtutibus moralibus infusis.

3. Præterea. Virtutes quas Deus in nobis sine nobis operatur, sunt mentis qualitates, ut dicit Augustinus (pluribus in locis) & non in viribus organis affixis. Sed aliquæ moralium virtutum, ut dictum est, sunt in irascibili, & concupiscibili, quæ non sunt partes mentis, cum sint vires organis affixæ. Ergo virtutes istæ ad minus non possunt esse infusæ.

4. Præterea. Virtutes morales à consuetudine dicuntur, ut patet II. Ethic. cap. 1. Sed quod est ex consuetudine, non est infusum. Ergo virtutes morales non possunt esse infusæ.

Sed contra. Sap. VIII. 8. *Sobrietatem, & prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem:* & tanguntur ibi istæ quatuor cardinales virtutes, ut in littera Magister dicit, quæ sunt virtutes morales. Sed sapientia Dei non solum docet intellectum instruendo, sed etiam affectum movendo. Ergo istæ virtutes etiam sunt infusæ.

Præterea. In pueris baptizatis, & in contritis de

peccatis, sunt omnes virtutes. Sed non possunt esse acquisitæ, quia (4) proprium actum virtutis non participant, ut dicitur I. Ethic. cap. xiii. neque etiam unus actus contritionis sufficere potest ad acquirendum omnes virtutes. Ergo omnes virtutes morales etiam sunt infusæ.

QUÆSTIUNCULA IV.

1. Ulterius. Videtur quod etiam non differant specie infusæ ab acquisitis. Agens enim, cum sit extrinsecum, non diversificat speciem: unde ejusdem speciei est oculus quem Deus cæco nato restituit, & quem in aliqua creatura causat. Sed virtutes infusæ differunt ab acquisitis penes agens primum. Ergo non differunt specie.

2. Præterea. Habitus specificantur ex actibus, & objectis. Sed idem est objectum, & idem actus temperantiæ infusæ, & acquisitæ. Ergo non differunt specie.

3. Si dicatur, quod actus differunt, in quantum sunt meritorii actus infusarum, non autem actus acquisitarum; contra. Actus virtutis cuiuslibet non est meritorius, nisi in quantum est formatus à charitate. Sed formatum, & informe in virtutibus non facit differentiam speciei, sicut patet in fide, cum sit differentia penes extrinsecum. Ergo virtutes infusæ ab acquisitis non differunt specie.

4. Si dicatur, quod infusæ propter Deum operantur, non autem acquisitæ; contra. Deus non est objectum cardinalium virtutum, sed theologiarum. Cum igitur virtutes non recipiant speciem à fine ultimo, sed ab objecto, & actu, videtur quod adhuc per hoc non differant specie virtutes acquisitæ, (5) & infusæ.

Sed contra. Quælibet pars posita in diffinitione, facit differre secundum speciem. Sed infusio ponitur in diffinitione virtutis ab Augustino, secundum quam Deus in nobis operatur sine nobis. Ergo infusa differt specie ab acquisita.

Præterea. Duæ formæ ejusdem speciei non possunt esse in uno subjecto. Sed virtus infusa est simul cum virtute acquisita, ut patet in adulto qui habens virtutem acquisitam ad baptismum accedit, qui non minus recipit de infusis quam puer. Ergo virtus acquisita, & infusa differunt specie.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod sicut in naturalibus posuerunt quidam formas omnes existere in materia, & quod agens naturale extrahit eas de occulto ad manifestum, in quantum removel ea quæ prohibebant formam illam apparere; ita etiam dixerunt quidam de habitibus animæ: unde Plato dixit, quod omnes scientiæ sunt in anima à natura, & addiscere non est aliud quam recordari: & similiter videtur dicere Damascenus, Lib. III. de Fid. cap. xiv. de virtutibus, quod insunt nobis à natura, & per exercitium tolluntur impedimenta virtutum; sicut ferri æruginem auferentes, videmus claritatem, quæ naturaliter ei inest, inducere. Omnes autem istæ opiniones secundum aliquid veræ, & secundum aliquid falsæ. Veræ quidem sunt, in quantum prædictorum aliqua inchoatio est à natura, sicut forma existit in potentia materiæ, & scientia conclusionum in principiis

In III. Sent. Tom. III.

(4) Al. pium. (5) Al. sed infusæ. (6) Nicolai ad marginem: *Planius sic reddi potest: Cum idonei naturæ sintus ad eas suscipiendas, post assuetudinem autem perficiantur.*

universalibus: quia quod in particulari discitur, prius in generali sciebatur, & virtutes præexistunt in naturali ordinatione ad bonum virtutis, quæ est in ratione cognoscente huiusmodi bonum, & etiam in voluntate naturaliter appetente illud, & etiam quandoque in inferioribus viribus, in quantum sunt naturaliter subjectæ rationi: & in quibusdam ex ipsa complexione est minus de resistentia ad bonum rationis, secundum quod Philosophus dicit in VI. Ethic. cap. 1. quod quidam confestim à nativitate sunt fortes, & temperati: & ideo à Tullio dicitur, quod seminaria virtutum, sive initia, sunt naturalia. Falsæ autem sunt prædictæ opiniones, in quantum complementum formarum, secundum quod sunt in actu, est ab agente extrinsecum; scientiæ vero complementum est ex doctrina, vel inventione; virtutum autem ex assuefactione, vel infusione: & hoc est quod Philosophus II. Ethic. cap. 1. dicit (6) innotis nobis eas suscipere, perfectis vero per assuefactionem.

Et per hoc patet responsio ad auctoritatem Damasceni.

Ad secundum dicendum, quod ratio & est natura hominis, & est ratio: unde ex hoc quod est ratio, addit aliquem modum causandi supra modum quo aliquid ex altero causatur naturaliter; & secundum hunc modum ratio est principium virtutum.

Ad tertium dicendum, quod homo propter hoc quod habet rationem, quæ collativa est, se habet ad multas operationes, quarum ratio principium est: & ideo non providentur homini à natura necessaria ad regumentum, & defensionem, sicut aliis animalibus, ut pili, & unguis: quia non posset instrumentum aliquod determinatum competere ad tam varias, & diversas operationes: & ideo dantur sibi manus, per quas possit sibi facere necessaria secundum quod ei competit ex ratione. Et similiter non potuit esse in homine complementum ex natura, quia non est idem conveniens omnibus. Oportet enim medium virtutis in diversis diversimode accipi.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum est, quod quidam Philosophi, quos sequitur Avicenna, posuerunt omnes formas esse à datore, & quod agens naturale non facit nisi dispositionem ad formas illas: & similiter etiam dicit Avicenna, quod scientia, & virtus sunt à datore, & per studium, & exercitium disponitur anima ad recipiendum influxum dictorum habituum.

Hæc autem positio tollit naturalem virtutem, quæ inest cuilibet principio naturali ad faciendum sibi simile, secundum quod materia in quam agit, est receptiva suæ similitudinis. Quod quidem necessarium est ex hoc quod omne quod agit, agit ex hoc quod est in actu: unde oportet quod omne quod est in actu aliquid, aliquo modo possit esse actuum illius; & ideo omne naturale principium natum est inducere suam similitudinem per actum suum. Cum igitur principia scientiarum, & virtutum sint naturaliter nobis indita, ut dictum est, oportet quod per actiones ex illis principiis prodeuntes, virtutum, & scientiarum habitus compleantur: & huic quidem attestatur experientia: quia ex consuetudine efficitur aliquid facile, & delectabile, quod prius erat diffi-

Zz